

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon.

Prieurés et dépendances des origines à 1300.

Tome premier., 30

Domino sacrosancte Basilice sancti Benigni martiris, sub opido Divionensi constructe, ubi venerabilis vir dominus Vualdricus preesse videtur pontifex, et David presbiter cum omni congregacione sancti Benigni, Leotadus et germana sua Dada. Cogitamus pro Dei intuitu, vel reverencia ipsius loci, ut aliquid de paupertatibus nostra ad ipsum locum, vel suis custodibus concedere debeamus; quod et ita, in Dei nomine fecimus: hoc est in pago Attoariorum, in villa Sancto colonica, sive in Bargis, quicquid ibidem visi sumus habere, mansos cum casis superpositis, una cum exitu et regressu, campis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, accessisque omnibus, totum et ad integrum, quicquid ibidem in jamdicta villa visi sumus habere aut dominare, tam de parentum nostrorum quam de comparato aut de atracto, aut quolibet ingenio ad nos pervenit aut pervenire potest ad memoratam Basilicam suisque custodibus, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus, clericis seu lectoribus, cedimus, tradimus atque transfundimus ex dominacione nostra, ut tam ipsi custodes quam successores eorum quicquid facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod non futurum credimus, si nos aut ullus de heredibus nostris aut quelibet ulla opposita persona, que contra hanc donacionis epistolam venire aut aliquid agere conaverit, nullo modo valeat evindicare quod repetit, sed inferat vobis vestrisque successoribus ad augmentum basilicae sanctae auri uncias .II. et nihilominus presens hec cessio firma permaneat stipulacione subnixa. Actum Divione in basilica sancti Benigni publice. Signum Leotadi et Dadae qui hanc cessionis epistolam fieri rogaverunt. Signum Ermenberti. Signum Barnarii. Signum Agramni. Signum Adam. In Dei nomine ego Airbaldus diaconus hanc epistolam cessionis scripsi et subscripsi et adnotavi, die lunis proximo post kalendas novembris, anno .X. domini nostri KAROLI IMPERATORIS. In SALONO et BARGIS.